

2893

LITURGICI.

2894

DCCCL

425 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 68. 4. luculente scriptus hanc in theca anteriore notam praefert: *Iste liber est beate Marie virginis in sancta Cruce videlicet in Austria. Et dicitur tractatus super missam optimus liber legentibus et etiam auscultantibus de diuersis materijs misse &c.* Pag. vero Codicis ult. legitur: *Iste Liber titulatur compendiarius misse.* Initium ejus est: *Missa a IIII. causis nomen accepit. duabus a legatione et duabus a missione.* Finis: *non deuotioni sed presumptioni ascribitur.* Difficile est inter tot, qui hoc argumentum versarunt, Autorem adsignare. Neque ille in folis *Missae* ritibus explicandis, tradendoque illorum sensu mystico fistit, sed latius in *Liturgiae* campos expatiat. Ita varia adfert de Officio Episcoporum et Ecclesiae gradibus, de Templis, Campanis, Sepultura, de Ordine Monastico utriusque Sexus, quae postrema Monachum fuisse arguunt. Germanum inde conjicias, quod de Templis fol. 41. p. 2. agens scribit: *Hec domus etiam Kiricha. id est. dominicalis appellatur.* De more antiquo Canonis in Missalibus Servatoris cruci suffixi iconem praemittendi fol. 4. p. 1. haec observat: *TE igitur ideo dicimus. quia deum quasi presentem aspiciamus. hic (hinc?) in libris crucifixum (e Germanico das Crucifix) depingitur.* In uniuersum plurima decerpit et iisdem quidem verbis e L. I. *Gemmae Animae*

Honorii Augustodunensis, cujus Exemplum Cod. DCCXCI. produximus, neque tamen eodem ordine, neque in Capita diuisa.

DCCCII.

Codex partim membranaceus, 53^a partim chartaceus, lat. boh. Sec. partim XIII. partim XV. Folior. 374. 4. a diuersis conscriptus sequentia continet: I. in membrana manu Sec. XIII. *Tractatum de Officio Missae* per tres columnas scriptum, quarum dextra insignitur *Ordo* et enarrat succincte caerimonias in Sacrificio observari solitas, media insignitur *Mysterium* et exhibet *Excerpta e VI. Libris Innocentii III. Pont. Rom. de Officio Missae*, jam indicatis, laeva insignitur *Autor*, et promittit loca S. Scripturae, ad quae Ritus Missae adludunt. Autor Compilationis hujus nullibi exprimitur. Praefationem ille incipit iisdem cum *Innocentio cit.* verbis: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit &c.* Verum mox eum deserit et ita profequitur: *Spiritu sancto ergo docente de Officio misse primum videamus quid sit missa et unde dicatur. quid in ea agatur &c.* Atque plures ejusmodi Quaestiones congerens, in ipsa etiamnum *Praef.* ad eas respondet. Ipsi deinde Operis initium Col. 1. *Sacerdos celebraturus sollempnia missarum quosdam psalmos et orationes premitit &c.* Col. 2. *Quinque psalmos dicit secundum exortacionem psalmiste &c.* Col. 3. *Idem dominus traditurus disci-*

B b 2

discipulis suis &c. Ut ut opportuna sint, quae adfert Noster, de nexu tamen et ordine dicendorum minus laboravit.

II. fol. 25. et deinceps in charta, calamisque Sec. XV. *Dialogus Magistri Johannis de anglia*. Ita in calce, sed additum: qui vocabatur *Wicleph*, quod quidem minio inductum, non tamen ita oblitteratum est, ut legi non possit. Odione nominis *Wicleffiani* id factum, an potius, ut Vulcanum evaderet Scriptum, ignoro. Est vero *Speculum militantis Ecclesiae* dialogo inter *Veritatem* et *Mendacium* elaboratum, cujus Exemplum jam pluries dedimus. Init: *Cum idemptitas sit mater fastidij* &c. Finit: *ut veritati fructuose consenciant in hac parte*.

III. fol. 50. *Augustinus de contemptu mundi ad clericos*. Sermo hujus *Augustino* subpositi, et in edit. *Maur.* rejeeti in *Append. T. VI. col. 293.* initium est: *Audite fratres karissimi salutiferam patris uestri doctrinam* &c. Eo *Wicleffistae* sententiam suam de Cleri Dominio fulciebant.

IV. fol. 53. p. 2. *Pastorale*, ut in calce, *Magistri Johannis Wicleph*. Initium: *Cum duplex deberet esse officium christiani, ad quod fideles diligenter attenderent* &c. Exemplum aliud jam adlatum vide in *Indice*.

V. fol. 75. *Traetatus de Compositione Hominis*. Initium: *Tria mouent me tractare materiam de compositione hominis ex suis qualitativis principijs cum alijs difficultatibus, que isti materie sunt anne-*

xe. Tria haec sunt, *Materiae* hujus possibilitas et subtilitas digna Philosopho, dein ejus usus ad secretiores articulos fidei, demum ejus necessitas ad intelligendam materiam humani Domini. *Traetatio* ipsa Autorem in *Philosophia Aristotelica* et lectione *PP.* versatissimum probat. De *Animarum* in homine *Pluralitate* citat *Doctorem Oxoniensem de Wilvarby* et *Pechamum Cantuariensem*, unde vicinius innotescit, et demum a *Baleo* et *Tannero* declaratur *Job. Wicleffus*, qui hac *Dissertatione* viam sibi sternere videtur ad ea, quae tardius adferuit; hic enim *Thomas* illi etiamnum *Sanctus* est. Ut in *Indice*.

VI. fol. 99. absque Titulo *Traetatus de V. prioribus Ecclesiae Sacramentis*, qui incipit: *Ad christi ihesu domini nostri laudem et honorem* &c. et jam relatus est *Cod. CCCCXXIII.* et *CCCCXXIV.* ubi notavi, extolli in eo *Jacobellum de Miza*.

VII. fol. 123. *Glossarium latinobohemicum* Vocum complurium in *V. T.* et in *Hieronymi Praefationibus ad Paulinum* et *Desiderium* &c. occurrentium, ordine *Librorum* et *Capitum*. Ita *Genesis* incipit: *Firmamentum stvrzenie. Arida suchost. Germi-net zplod. Afferentem magic* &c.

VIII. fol. 160. *Scriptum Bohemicum* de *Adoratione Corporis Christi* in *Eucharistia*, quod ab *Augustini* loco incipit: *Kterak se gest on gmiel oklanieni tiehu boziem* &c. et ad *Job. Wicleffi Opera*, praesertim *Sermonem habitum*

2897

LITURGICI

2898

bitum in Paschate remittit. Adhaeret *Dyonisii oratio coram sacramento* pariter bohemice.

IX. fol. 165. *Questio Magistri Jacobi de Miza*. Est Tractatus de Existentia Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia, prout indicatus *Codd.* pluribus, quos quaere in *Indice*, hoc initio: *Utrum ex fundamento scripture sacre et Testimonio antiquorum sanctorum possit ostendi. uel credi debeat &c.*

X. fol. 283. *Incipit Omelia Eusebij de Corpore et sanguine domini nostri Ihesu Christi*. Initium: *Magnitudo celestium beneficiorum angustias humane mentis excedit &c.* Est Quinta in Pascha inter *Homilias Eusebio Gallicano Ep.* tributas T. VI. *Bibl. PP. Lugd.* p. 636. cujus etiam nomine jam a *Gratiano et Paschasio Radb.* citatur, quamvis *Codex S. Germani Paris.* nomen *Isidori* praeferat. Adhaerent Excerpta quaedam ex *Ambrosio de Sacramentis* et *Basilio M. de dignitate Sacerdotii*.

XI. fol. 287. *De Vestibus sacris*. Ventilatur et deciditur *Quaestio*: *An Sacerdotes christi possunt sacras missas eo ritu quo nunc per orbem geruntur in vasis et vestibus. non ad ujum communem. sed ad sacrificandum specialiter deputatis circumscripto ab eis omni peccato, licite et meritorie celebrare? Quod sic patet &c.* *Job. Przibramii*, ut *Codd. CCCCXXIII.* et alibi. Ita ingenium *Novaturientium*, quae per secula viguere, tanquam heri inventa in medium protrahit, et

dum ea rationibus constabilire simulat, labefactat potius et perturbat, cujus rei testes sunt tot *Quaestiones* aevo *Hussi* in *Bohemia* motae, quae passim in *Codicibus nostris* occurrunt. In decursu inter medios sacrae Antiquitatis *Scriptores* citatur *Doctor Evangelicus*, i. e. *Job. Wicleffus*.

XII. fol. 290. p. 2. *Contra venerationem Imaginum*. Congeruntur *Loca* e *sacris Literis*, quae *Idololatriam* petunt. Legitur tamen: *Si nonnulli ex predecessoribus et maioribus nostris fecerunt aliqua. que illo tempore potuerunt esse sine culpa, et postea vertuntur in errorem et supersticionem. sine tarditate aliqua et cum magna auctoritate a posteris destruuntur.* Initium: *Nota adorantes etiam in ymaginibus picturis manufactis &c.*

XIII. fol. 291. p. 2. *De Bello*. Initium: *Cum in istis temporibus periculosis undique bella strepant et crassetur plus solito gladius &c.* Exponuntur IX. *conditiones Belli justii*.

XIV. fol. 296. *Tractatulus de Confessione*. Incipit: *Decretum Augustini de penitentia dist. 6. c. 2. vult confiteri peccata sua ut inueniat gratiam. querat sacerdotem scientem soluere et ligare &c.* *Totus Wicleffum* spirat, quamvis non compareat inter *Ejus Scripta* a *Baleo et Tannero* enumerata.

XV. fol. 310. absque inscriptione *Tractatus*, qui probandum adsumit, *Substantiam Panis remanere cum Corpore Christi in Eucharistia* et incipit: *Confiteor antiquam fidem apostolicam ecclesie &c.*

&c. et pariter, ni fallor, ad *Wicleffum* spectat; dicitur enim apud praedictos Literatores *Confessio* ejus de *Eucharistia* incipere: *Sæpe confessus sum et adhuc*. quae verba optime quadrant principio *Codici* nostri et in eo tantum omissa videntur. Adnexae sunt *Autoritates PP.* quibus opinionem suam stabiliri putat Noster.

XVI. fol. 335. Notae in *Epistolam I. Pauli ad Corinth.* a C. VII. usque ad finem, hoc initio: *De quibus autem scripsistis mihi. consequenter instruendi sunt Corinthij de Matrimonio contrahendo et de contracto non dissolvendo &c.* Item in *Epistolam II.* ab initio usque ad C. X. v. 1. in quo abrumpuntur. Initium ejusmodi: *Informati corinthijs de 4. sacramentis in hac 2. epistola instruit eos &c.* Excerpta maximam partem e *Poëstillis Lyrani.*

XVII. fol. 359. *Martinus Lupac* contra papam. In *Giesztwina Anno christi 1462.* Quae de hoc Viro ad diem obitus ejus feria III. Pasch. 1468. 20. April. notat ὁμῶνμος *Procopius* in *Ephem.* haec sunt: Sacerdotem fuisse, *Johannisque Rokyczanae* Collegam et suffraganeum, Legationem ad Concilium *Basil.* obivisse, scripsisseque complura a se visa. In *Narratione* de Legat. *Bobemorum*, quae *Actis Concilii* in edit. *Labb. T. XVII.* praemissa est, inter Oratores invenio *Martinum de Cbrudim*, qui locus Nostri fortasse patria fuit. Iam ille in *Cod. praesente* crisin severam exerit in *Responsum Pii II.* datum Orato-

ribus Regis *Georgii* eod. anno 1462. quod vulgavit *Ge. Guil. Leibnitius P. II. Mantissae* ad *Cod. J. G. dipl. p. 159.* quodque in *Codice Crisin*, quam praecedere debebat, excipit. In hoc porro *Responsio Pius* Regem, Regnumque hortatur, ut ab innovatis Ritibus decedant, maximeque *Communionem* sub utraque *Specie* improbat, hoc initio: *Superioribus diebus cum audiissemus vos Oratores &c.* Quae inde inferat *Lupacius*, ipso ejus exordio proditur. *Hec responsa pape manifeste declarant anticristum iam imperare. Eo (antea?) plene putabam anticristum ante tempus venisse, nunc autem cognosco quia venit successive &c.* Praecipue impugnantur, quae Pontifex contra utramque *Speciem* obmoverat, ejusque verba singillatim recitantur et perstringuntur. Multa insuper occurrunt ad historiam *Compastatorum* facientia. Papae *Responsio* subjecti sunt aliqui contra illum *Versiculi* arescentis venae.

DCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 234 XV. Folior. 253. f. partim lineis longis, partim columnatim exaratus sequentia complectitur: I. rubro: *Incipit tractatus utilis super totum officium misse editus et compilatus per fratrem bernbardum de parentinis ordinis predicatorum provincie tholosane et conventus Orthesij in Vasconia, sicut legit albia (Albiae, Albigae) pluribus auditoribus, solempnibus doctori-*